# DE EMENDA TIONE ECCLESIAE LIBELLVS, A REVE-

rendiſſimo domino Petro de Aliaco Car
dinali Cameracenſi, patribus olim ob-
latus in concilio Conſtantienſi con-
gregatis. quod Chriſtianiſſimus
princeps Sigiſmundus Augu
ſtus conuocarat, non tam
ob eccleſiæ concordiam,
quàm communis mo
rum emendatio-
nis ſpe. Quæ
quo minus proceſſerit per hunc non
ſtetit, ſed per Eccleſiaſticos,
Germanicæ ſimplici-
tati imponente Ro
mana aſtutia.





Vius cor tam eſt lapideum, quod non cõmoueatur? cuius oculi tam ſicci ſunt, ut non madeſcant undis lachrymarum, qui cogitet quid intentatum reliquerit Chriſtianiſſimus ille princeps Sigiſmundus Aug. quo diſſentientes in cõcordiam redigeret pontifices, ut tandem rempublicam Chriſtianam pulchre emendatam ad euangelicam amuſſim cerneret prius quàm uita defungeretur? Indixit conciliũ in Cõſtantia Germaniæ. Ipſe in Britanniã nauigauit, in Aragoniam profectus eſt, Galliam adijt amore concordiæ. Quam ubi tandem obtinuiſſet, & iam Oddo Columnenſis in pontificem electus eſſet, exuberãti gaudio uelut extra ſe raptus planè ſperabat eccleſiaſticos proceres emendationi publicæ ſtatim operam daturos. At pientiſſimum principem nouus pontifex belle eluſit, aſſerens ſe de hac re per ocium cogitaturũ, in primis adeundam eſſe Romã, cuius templa abſente iam annis aliquot pontifice, paſſim collaberentur, & quod Petri patrimonium uocant, è tyrannorum manibus eripiendum. Quaſi uero non præſtet quicquid eſt Romæ ſacellorũ corruere, ſi morũ emendatio poſſit obtineri. Templa ſemper reſtitui

ſtitui

ſtitui poſſunt,& opibus ornari. Emendatio ope
diuina habet opus,& animis principũ in hoc la=
borantibus. Sic eluſus fuit Sigiſmũdus Cæſar,
qui alioqui natus uideri poterat ad Chriſtianiſ=
mum orbi reſtituendũ. eius adhuc extant in Ger
manica lingua de omnium ordinũ emẽdatione
pro tota republica Chriſtiana grauiſſimæ cõſti
tutiones. Idem animi uidetur habuiſſe Petrus ab
Aliaco Cardinalis Cameracenſis,qui licet infe=
ctus eſſet Theologia iſta ſcholaſtica,quæ eſt in= *Theologia ſcholaſtica.*
genioſa cum ad conſcientias in nugis aggrauan
das,tum rurſus ad inueniendas excuſationes in
peccatis multo ſolertiſſima,temperare tamen ſi=
bi nõ potuit,quin hunc libellũ, quẽ diu ſuppreſ=
ſum nunc emittimus,pro publica morũ emenda
tione à ſe conſcriptũ,patribus in Cõſtantia Ger
maniæ iuſſu Cæſ. Sigiſmundi congregatis offer
ret. Quo tamen haud plus effecit,quàm abhinc
aliquot annos Raimundus Cardinalis Gurcen=
ſis ſua priuatim monitione. Nam cũ is cõmodũ
Romam reuertiſſet, onuſtus auro Germanico,
quod ſuprema ſua legatione fungens, ex diſtra=
ctione theſauri illius indulgentiarum inexhauſti
corraſerat (meritorũ Chriſti uidelicet,& ſancto
rum,quæ illis ſuperabant cũ iudice deo rationẽ

ineuntibus) forte in senatu purpuratorū patrū (consistoriū illi uocant) rogatus est, quidnam de Roma sentirent Barbari, quando ad illos tanta benignitate merces indulgentiarū importarentur. Respondit Raimundus, Totū orbē conqueri de luxu fastúque Cardinalium. Quod nisi uos (inquit) emēdatos uiderint, erit in periculo resp. nostra. Id cū pluribus uerbis repeteret, cuncti cōtrahebāt ad hunc sermonem frontes & humeros suos, qui Italis mos est. Cæterū ut optimus pater deinceps taceret de reformatiōe re ualde odiosa Romæ, de qua nimiū cœperat loqui, bono haud dubie zelo motus, cōmunicato prius consilio cōuenit inter Cardinales, ut unus ex ipsis notæ audaciæ sic senem pudefaceret. Quod ordo noster apud Barbaros male audit, tu ipse in causa es, qui tam copioso famulitio, tanto luxu uestium & epularū, tātóque splēdore domesticæ supellectilis usus es, ut inuidiam & tibi & nobis cōpararis. atq; hæc cū stomachi significatione prolocutus est. Intellexit rē statim optimus pater, & deinceps siluit. Itaque deus opt. max. orandus est, ut illustret cæcas hominū mētes & pectora cæca. Nā à nobis nulla spes est, quos omneis cōmunis culpa uelut eodem fasce constringit. Vale lector.

# DE REFORMATIONE ECCLESIAE, LIBELLVS REVErendiſſimi patris D. Petri de Aliaco Cardinalis Cameracenſis, oblatus primoribus eccleſiaſticis in concilio Conſtantienſi, iuſſu Cæſ. Sigiſmundi congregatis. An. M.CCCC. XV. Menſe Nouembri.

## PRAEFATIO.



E REFORMATIONE eccleſiæ dudũ plura per me ſcripta nunc compendioſius recolligere, & ſacri generalis concilij Cõſtantienſis examinationi & correctioni præſentare decreui. Quæ eccleſiæ reformatio quàm neceſſaria olim fuerit, & amplius modo ſit, euidenter oſtendit deflenda ipſius deformatio. de qua lamẽtabiliter conquerebatur beatus Bernardus ſermone xxxiij. ſuper Cantica, ita dicens, Serpit hodie putrida tabes per omne corpus eccleſiæ, & quo latius eo

desperatius, eóque periculosius quo interius. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & aresceret: si uiolentus inimicus absconderet se forsan ab eo. Nũc uero quem eijciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici. omnes necessarij, & omnes aduersarij. oẽs domestici, & nulli pacifici. omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. ministri Christi sunt, & seruiunt antichristo. honorati incedunt de bonis domini, qui domino honorem nõ deferũt. Et enumeratis quibusdam excessiuis abusibus ecclesiasticorum, subdit, Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit, Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorũ. Non fugare, non fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga ecclesiæ. & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, sed nõ profecto à filijs. Vox plangẽtis in tempore isto, Filios enutriui, & exaltaui, ipsi aũt spreuerũt me. spreuerunt & maculauerũt me à turpi uita, à turpi quæstu, à turpi cõmercio, à negocio de-

*Non ergo fiet reformatio nisi per tyrannũ aliquem, aut in particulari per Ioannem Ligonizatorẽ, Hansen mit dẽ karst*

denique perābulante in tenebris. Si hæc à beato Bernhardo dicta sunt, nūc multo magis dici possunt. quia extunc de malis ad peiora processit, & in omni tam spirituali quàm seculari statu abiecto decore uirtutum in uariam cecidit turpitudinem uitiorum. Propterea extunc quidam spirituales mala hæc subtilioris intelligentiæ oculo præuidentes, præsentis ecclesiæ persecutionem & huius schismatis horrēdam monstruosámque diuisionem, subtractionem quoque obedientiæ ab ecclesia Romana, & alia plura scādalosa inde secutura prædixerūt. sicut patet in libris abbatis Ioachim & Hildegardis, quos non esse contemnendos, quorundam magnorū doctorū probat autoritas. Hæc autem deus misericordissimus, qui solus ex malis bona nouit elicere, ideo permittere credendus est, ut eorum occasione ecclesia sua in melius reformetur. Quod nisi celeriter fiat, audeo dicere, quod licet magna sint quæ uidemus, tamen in breui incomparabiliter maiora uidebimus, & post ista tonitrua tam horrēda, maiora alia horribiliora in proximo audiemus. Eapropter summo opere uigilandū est circa reformationem ecclesiæ. Ideo circa hoc aliquas considerationes particulares scribere & prudentum

exami=

examinationi proponere dignum duxi, nec omnes quidem. quia ad hoc & maiori libro & maiori ingenio opus esset, sed utiliores, & meo iudicio magis necessarias, & per quas ad omnes alias uia poterit facilius aperiri.

Prima autem consideratio erit de reformandis circa opus ecclesiæ.

Secunda, de reformãdis circa eius caput, scilicet circa statum Papæ, & Romanæ curiæ.

Tertia, de reformatione principalium ecclesiæ partium, scilicet prælatorum.

Quarta, de reformandis circa religiones & religiosos.

Quinta, de reformandis circa cæteros ecclesiasticos.

Sexta, de reformatione laicorum Christianorũ.

## DE REFORMATIONE CIRCA OPUS ECCLESIAE.



Rima consideratio est de his, quæ uiderentur reformanda circa totũ corpus uniuersalis ecclesiæ. Vbi primo occurrit esse expediens, & necessariũ, quod sæpius quàm hactenus factum sit, generalia concilia celebrẽtur.

Item

Item uidetur expediens quod etiam ſæpius cele-
brarentur concilia prouincialia. quia, ut patet
xviij. diſt. decreti, ſancti patres propter eccleſiæ
utilitatem, primo ſtatuerunt ea bis in anno cele-
brari. Poſtea uero propter fatigationes, & ut op
portune haberentur, hi qui cõgregandi ſunt, ſta-
tuto ſynodali definierũt, omni excuſatione remo
ta modis omnibus ſemel in anno fieri, & depra-
uata corrigi. Vnde & epiſcopi, qui ad ſynodum
uenire contemnunt, & principes qui hoc prohi-
bent uel impediunt, uel Metropolitani qui abſ-
que rationabili cauſa hoc agere negligunt, cano
nicis pœnis ſubiacent, ut hæc probãtur in dicta
diſt. quaſi per totum, & in multis canonibus con
ciliorum. ut in ſecundo cap. Carthaginenſis con
cilij tertij. & in alio capitulo Toletani concilij ſe-
xti, & in tertio capitulo quarti concilij Toletani,
ubi ſic legitur, Nulla penè res diſciplinæ mores
ab eccleſia Chriſti magis expellit, quàm negligẽ
tia ſacerdotũ, qui contemptis canonibus ad cor
rigẽdos mores ſynodos facere negligunt. Et cer-
te hodie docet experientia, quot & quanta mala
ex huiuſmodi negligẽtia proueniant. Et ideo ne
ceſſe eſt prouidere, ut huiuſmodi cõcilia ſæpius
fiant, & ſi non ſemel in anno iuxta rigorem cano

num,saltem de triennio in trienniū ad euitandū uexationes itinerū,laborū & expensarū, & quia om:.c rarū,pretiosum. Et si dicatur quod hodie nō est opus generalia aut ꝓuincialia concilia cō gregare, sicut fuit in primitiua ecclesia: & quod ad tollendū uexationes prælatorū in huiusmodi cōcilijs,Ro.ecclesia seu papalis curia potest suf= ficiēter casibus emergētibus respōdere. Respon detur, quod hoc nō est utique uerū. Tū primo, quia experientia docet,quod ꝓpter defectū con ciliorū & maxime generaliū totius ecclesiæ,quæ sola potest audacter & intrepide omnes corrige re,ea mala quæ uniuersalē tangunt ecclesiā diu remanserunt impunita,incorrecta, & adeo cre= uerunt & inueterata sunt,ut tādem multa iniusta & iniqua sub prætextu fictæ & corruptæ cōsue= tudinis licita reputentur. Item multi suspicantur, quod hæc dissimulauerit Ro.curia, & super hoc concilia fieri neglexerit, ut posset ad suæ uolūta tis libitū plenius dominari,& iura aliarū ecclesia rum liberius usurpare. Quod non assero esse ue rum. Sed quia cōtra eam huiusmodi laborat in= famia,debent ad eam purgandā super cōgrega tione conciliorū generaliū & prouincialiū proui dere. Alioqui, iuxta dictū Augustini, si famā suā negli

*Nota bene.*

negligit, crudelis est. Item illa sanctissima Ro. curia. S. Petri, & Apostolorũ licet potuisset sine congregatione concilij, per epistolas uel alias uias, causas, & negocia ecclesiæ faciliter terminare, tamen legitur quatuor cõcilia celebrasse, sicut patet in Actis xvi. xv. & xij. cap. Unde per hoc exemplum instructionis de sæpe congregandis cõcilijs, suis posteris reliquerũt. Nam sicut Christi, sic & Apostolorũ suorũ à capite nostro est instructio, iuxta illud Apostoli, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Item in quarto cap. canonis dicit Isidorus, Quod quia ante tẽpora Cõstantini, nõ erat episcopis licentia cõueniendi in unũ, scilicet publice per modũ cõcilij generalis, ideo Christianitas in diuersas hæreses scissa est. Et ita dicere possumus modo, quod propter defectũ celebrationis conciliorũ, ecclesia in diuersa schismata, & alia innumerabilia mala forte etiã ad hæreses disponentia prohdolor lapsa est, sicut experientia docet. Itẽ; si cõcilia sæpe celebrata fuissent, uerisimile est quod hoc nephandum schisma nõ tam diu perdurasset, nec forte schisma Græcorũ Unde huiusmodi schismatibus debuisset cito per concilium generale prouideri, ut in primitiua ecclesia docuerũt Apostoli, ꝑut legitur Actorũ vi.

quod quia ortum est murmur Græcorũ aduersus Hebræos &c. statim xij. apostoli ipsum conuocata multitudine sedauerũt. Similiter Act. xv. orta dissensione propter obseruantiam legaliũ, sancti Paulus & Barnabas ascenderunt ad apostolos in Hierusalẽ. Vnde patet, quod ualde dãnabiliter peccauerunt illi principes seu prælati, qui pro sedatione huiusmodi schismatis, conuocationem concilij neglexerũt aut impediuerunt. Item aliqui sunt casus ardui necessario reformãdi, in quibus non potest cõmodius quàm per generale concilium prouideri, sicut patet primo de reformatione Romanæ Curiæ, quæ, ut infra dicetur, necessaria est reformari. sicut nec contempsit à generali concilio plures principatus honores recipere. quia licet principaliter Romana ecclesia principatum habuerit à domino, tamen secũdario à cõcilio, ut dicit glo. xvij. di. super cap. concilia. Itẽ reformatio totius corporis ecclesiæ & particularis ecclesiæ Ro. est de arduis pertinẽtibus ad fidem. nã eius generalis deformatio nõ mediocriter fidẽ tangit, & per cõsequens eius reformatio. Ideo in hoc nõ debet Papa aut eius curia deliberationẽ cõcilij respuere, quia sicut dicit glo. xix. dist. super. c. Anastasius, Papa debet re

quirere

quirere concilium episcoporū,ubi agitur de fide Quod non solū intelligo de articulis fidei,sed de arduis tangētibus uniuersalem statum fidelis ecclesiæ. Quod notat Archid. xv. di. in c. ubi dictam glo. approbans addit,quod nimis periculosum esset fidē nostram cōmittere arbitrio unius hominis. Et idcirco Papa in casibus nouis & arduis ad deliberationē cōcilij recurrere consueuit. Item duo sunt arduissimi casus fidem & fideles omnes mutabiliter & miserabiliter cōcernentes,quibus esset per generale concilium necessario prouidendum. Vnus est de modo prouidendi contra Sarracenos & alios infideles, fidem & Christianitatem impugnātes,& nunc multo periculosius quàm à multis retroactis temporibus fecerunt contra ecclesiam catholicam insurgentes, quibus si celeriter non obuietur, timendū est ne Constantinopolitanum imperium iam multipliciter ab eis laceratum & uexatum,penitus destruatur, Ac deinde Ro. imperium iam diuisum & penè ad ruinam præparatum inuadant, & sic ecclesiam destruant iam schismate laceratam, ut sic uia præparetur aduentui Antichristi, de quo prædixit Paulus, Nisi ueuerit dissensio primum &c. quod exponit glo. de duplici dissensione seu

diuisione, una ab imperio, alia ab ecclesia Rom. quæ præuenire debet Antichristũ. Et utramque iam præsentialiter multi deuoti fideles nõ immerito pertimescũt. Alius casus est de modo prouidendi circa Græcos, ut ad unitatem Ro. ecclesiæ reducantur. quod nunc maxime opportune fieri posse uidetur, dum eorum Imperator inter Latinos degens à Ro. ecclesia, & dominis temporalibus præcipue à Francorum rege contra infideles cogitur auxilium & subsidium postulare. De uijs autem & modis circa dictos casus seruandis scripserũt plures fidei zelatores, & specialiter frater Humbertus de Romania quondam magister quintus ordinis Prædicatorũ tractatũ utilem cõposuit, ut super his, puideretur in concilio generali Lugdunen. sub Gregorio papa lo. celebrãdo.

*Hoc esset homines cogere.*

## DE REFORMATIONE CAPITIS, HOC EST STATVS PAPALIS, ET SVAE ROMANAE CVRIAE ET CARDINALIVM.



Ecũda cõsideratio est de his quæ reformanda uidẽtur circa caput corporis ecclesiæ, id est, circa statum papæ & suæ Rom. curiæ. Et primo tollendus esset ille detestabilis

bilis abuſus à quo primo ſchiſma originem tra-
xit,ſcilicet quod una natio ſiue regnum aliquan
do ultra aliquando citra montes, in ſcandalum
reſiduæ Chriſtianitatis,ita diu papatum tenuit,
ut poſſet dicere, Hæreditate poſſideamus ſan-
ctuarium dei. Quod quàm deteſtabile ſit præci
pue in papatu,oſtendit ille qui ait,In ueritate cõ-
peri quod nõ ſit perſonarum acceptor deus &c.
Item pro dicta prouiſione eſſet ſtatuendũ, quod
de cætero maior pars Cardinalium non poſſet
aſſumi de uno regno ſiue de una natione, ſicut
quandoque hactenus factum eſt,in magnũ ſcan
dalum plurimorum,ſed quod de diuerſis regnis
& prouincijs indiſtincte iuxta perſonarum meri
ta aſſumantur. Quia ſicut apud deum, ita apud
Dei miniſtros non debet eſſe acceptio perſo-
narum. Et uideretur ſufficere, quod de una pro-
uincia ſolum eſſet unus Cardinalis, ut ſic in eo-
rum ꝓmotione & multiplicatione tolleretur, uel
ſaltem reſtringeretur & artaretur carnalis affe-
ctio promouentis, Et ut per aſſumptos de diuer
ſis prouincijs, diuerſitas morum & ſtatuum ea-
rundem,Romanæ eccleſiæ innoteſceret ad utili
tatem & ſalutarem prouiſionem incolarũ. Item
quia una cauſa præſentis ſchiſmatis fuit, quod
Car

Cardinales nimis tardauerunt declarare & fideles sufficienter informare quod primam electionem fecissent ui & metu. Ideo ad tollēdū ne aliàs similis scandali detur occasio, expediens uideretur artari aliquod tēpus, ita quod talis exceptio deberet allegari, & ultra quod nec illa nec alia exceptio contra Papæ electionē posset per Cardinales opponi. Et esset etiam per concilium declarandum, quis de huius causa metus haberet cognoscere. quia Io. An. super Clemen. de elec. quærit, quis de huius causa metus cognoscere haberet si allegaretur circa electionē Papæ. Et respondens dicit, quod ista nondum decisa nec prouisa, egebūt prouisioni. Item necessaria erit reformatio & prouisio circa grauamina, quæ Romana ecclesia infert alijs inferioribus ecclesijs & prælatis. Et maxime in tribus, de quibus conqueritur præallegatus frater Hūbertus in dicto tractatu suo parte ij. c. xi. ubi dicit, quod causa dispositiua schismatis Græcorum inter alias una fuit propter grauamina Romanæ ecclesiæ in exactionibus, excōmunicationibus, & statutis.

*Grauamina ab ecclesia Ro.*

*Tria grauamia*

De primo grauamine, & contra hanc multitudinem & magnitudinem exactionum, prouidendum esset tripliciter. Primo, per diminutionem pom-

*Grauamen exactionū Papaliū.*

*Pompa Romani pontificis.*

*Attende bonū conſilium.*

pompoſorum ſtatuum & exceſſiuarū expenſarum, ut ſic Ro. eccleſia minus eſſet onęroſa ſubiectis, & ut etiam eis eſſet exemplum humilitatis, & forma uirtutis, inſtar Chriſti, cuius ipſa uicariatum & à quo primatus honorẽ tenet, qui ait, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Secūdo, per diminutionem & artationem huiuſmodi exactionum, ſic ſcilicet, quod certa ſumma rationabilis determinaretur & limitaretur pro moderato ſtatu Papæ & Cardinalium, ſubiectis eccleſijs imponenda, & per diocœſes proportionabiliter diſtribuẽda, & à diocœſanis recolligẽda, & in certis terminis ſoluẽda Romanæ curiæ, ultra quam ſummam noua exactio non poſſet imponi ſine autoritate & conſenſu generalis concilij. Tertio, per diminutionẽ numeri Cardinaliū, ita quod nõ eſſet tantus nec tam oneroſus numerus ipſorum, ſicut hactenus fuit. ne Romanæ curiæ dici poſſet, Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam. Item circa ſtatū Cardinalium & aliorum eccleſiaſticorū prouidẽdum eſſet, quod deinceps non tenerent illã monſtruoſam & multipliciter ſcãdaloſam beneficiorū multitudinem. de quo abuſu antiqui ſapientes conqueſti ſunt, ſicut Guilhelmus epiſcopus Pariſiẽſis in uerbo ab

*Cardinaliū numerus minuendus.*

breuiato de uirtutibus & uicijs c. de signis auaritiæ ecclesiasticorũ. quorum rationes expediret diligenter examinare, & pro sedatione conscientiarum, quid super hac re tenendũ sit, declarare.

*Grauamen excõmunicationũ papalium.*

De secũdo grauamine supra tacto, scilicet de multiplicatione excõmunicationum, & ex consequenti irregularitatum, quas Ro. ecclesia in suis constitutionibus pœnalibus, & maxime in quibusdã nouis decretalibus imposuit, & sæpe per suos collectores in multorũ scandalum fulminauit, & ad cuius exemplum alij prælati leuiter & pro leuibus causis ut pro debitis, uel huiusmodi pauperes excõmunicatione crudeliter percutiunt, necesse est prouidere, cum hoc sit contra iura, ut xi. q. iij. c. Nullus cum fine concord. Nam gladius ecclesiæ uidelicet excõmunicatio, qui in primitiua ecclesia, uenerãda raritate erat formidabilis, iam propter abusum cõtrarium, contemptibilis e[ff]ectus est. sicut ostendit doctor subtilis Ioannes Scoti super quarto Sententiarũ di. xviij Qui tamen contemptus ualde periculosus est. quia excõmunicatio maior quæ anathema dicitur, æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter non potuerunt corrigi, ut habetur xi. q. iij. c. Nemo,

*Attende.*

mo, cui concordat glo. extra de u. sig. ex parte.

De tertio grauamine ratione ecclesiæ, quod imponit alijs in onerosa multitudine statutorũ, canonũ, & decretaliũ, & maxime illorum quæ uidentur ad graues pœnas, & præcipue ad mortales culpas obligare. Et eadem ratione de similibus statutis aut cõstitutiõibus synodalibus prælatorũ prouidẽdũ erit de rationabili alleuiatione huiusmodi onerũ. ne de prælatis ecclesiæ uerificetur, quod de pharisæis & sacerdotibus synagogæ à Christo improperando dictũ est. Imponũt onera grauia & importabilia in humeris hominũ, digito aũt nolũt ea mouere. Item super quibusdã alijs grauaminibus per Ro. ecclesiam alijs prælatis & ecclesijs superinductis adhibenda erit ꝓuisio, uidelicet super collationibus beneficiorũ & electionibus dignitatũ. Similiter super concessionibus exemptionum, quas Ro. ecclesia pluribus religionibus, abbatibus, & cõuentibus, ac capitulis in præiudiciũ prælatorũ concessit. de quibus iam olim plures deuoti ecclesiæ zelatores cõquesti sunt, sicut beatus Bernhardus in libro ad Eugenium papam & alij. Similiter de pluribus alijs honoribus, reuerentijs, & præeminentijs, quas quidem officiarij Romanæ curiæ

*Grauamen papalium statutorum, canonum, & decretaliũ.*

*De collationibus beneficiorũ & prælaturarũ*

*Vsurpatio officiariorum Romanensium.*

ſuper alios prælatos uſurpauerunt. Et multis eorum particularibus exceſſibus, de quibus longū eſſet per ſingula diſcurrere, perutilis & neceſſaria erit prouiſio. Hic aūt propter dictos exceſſus dudum quandam opinionem recitaui, quam nuper in tractatu de eccleſiaſtica poteſtate tanquā erroneam reprobandam eſſe declaraui, uidelicet quorundam detractorū Ro. eccleſiæ, qui in eius odium prætextu quorundam abuſuum, ſtatum Cardinalium, quem inutilem & damnoſum, nec ab Apoſtolis uel concilijs inſtitutum, & ſine cauſa rationabili uſurpatum, tanquā onerosum eccleſiæ, extirpandum eſſe dixerūt, ſicut olim de ſtatu Corepiſcoporū factū eſſe legitur. lxviij. di. c. corepiſcopi. Hunc autem errorem in hac ſynodo Conſtantienſi quodammodo reſuſcitare aliqui præſumpſerunt. Qui utinam attenderent iuxta doctrinā Chriſti, prius trabem de oculo eijcere, quàm feſtucam de oculo fratrum imò patrū ſuorum. Vtinam attenderent ſtatus epiſcoporū & aliorū prælatorum, cæterorúmque eccleſiaſticorum, ac etiā laicorū innumeris abuſibus & uicijs deformitatū. Nec tamen ideo huiuſmodi ſtatus diſpenſandos eſſe atque perdendos, quoniā in multis offendimus omnes, ſed uiciū uel abuſus corrigi

*Detractorum Ro. eccleſiæ, ſed bene uolentium reipublicæ chriſtianæ.*

*Cardinales abolendi, ſicut Corepiſcopi ſublati ſunt.*

*Qui hoc præſumpſerūt, multum ſapuerunt.*

*Tu quoq; Cardinalis eras, domine Petre, Nihil aūt eſt ſui ipſius deſtructiuum, ut noſti.*

 

corrigi debet & non ſtatus deſtrui, uel ſuis debitis iuribus defraudari. ſicut boni medici officium eſt ab infirmo morbum tollere, & non infirmum corpus deſtruere. Vtinã denique conſiderarent, qualiter domini Cardinales ꝓ reformatione eccleſiæ, ac ſtatus ipſorum ſe effectualiter paratiores obtulerunt quàm quicunque alij cuiuſcũque ſtatus. Imò plura mẽbra eccleſiæ, hic ſuæ reformationi reſtiterunt, cum tamen reformationem capitis importune peterent. Quia ergo Ro. eccleſia in capite & in membris ſuis ſe cum ratione temperare ſtuduit, iuſtum eſt ut ſubditæ eccleſiæ eidem ſuóque regimini rationabiliter obtemperare & ſubeſſe debeant, iuxta uerbum Senecæ, Multos reges, ſi ratio te rexerit.

## DE REFORMATIONE PRAELATORVM.



Ertia conſideratio erit de reformatiõe eccleſiæ circa partes eius principales, uidelicet, maiores prælatos. Vnde prouidẽdum erit quod tales eligantur, qui non ſint iuuenes indiſcreti, aut immorigerati, aut carnales ſpiritualiũ ignari, ſed graues ætate & moribus, eminentes ſpirituali ſciẽtia & doctrina, qui in ſuis re

bus nõ sint strenui, & in ecclesiasticis remissi, nec propria magis quàm cõmunia iura procurent, qui angarias & impositiones uel huiusmodi grauamina subiectis non imponant, qui per singulos annos parochias suas cum fructuoso affectu uisitent, qui potentes & tyrãnos populi oppressores arguãt & corripiant, qui diuinis scripturis studeant, & nõ scientijs practicis & litigiosis totaliter inhæreant. qui uerbis aut ludis ioculatorũ & mimorum, aut publicis spectaculis uel superfluis conuiuijs nõ delectẽtur, sed moderato habitu & temperato uictu contenti etiã in mensa lectioni diuinarũ scripturarũ intendant. & ut breuius dicã, in omnibus tales sint, ut cæteris sint fidelibus in exemplũ, sicut & esse tenẽtur. cũ illis in officio succedant, quibus à Christo dictũ est, Vos estis lux mundi, & uos estis sal terræ &c. & multa similia. Item ut tales ad prælaturas assumerentur, & nõ indigni & insufficientes, prouidendum esset, quod electiones prælatorũ nõ faciliter aut leuiter, sed cũ diligenti & graui examinatione confirmarẽtur, etiã si nullus se opponeret. quia nõ sufficit bono patrifamilias constituenti custodẽ thesauri sui, quod nihil mali sibi de illo opponatur, nisi etiam ipse alijs tacentibus de eius idoneitate

dili-

diligenter inquirat. Item quia stultum esset, patremfamilias thesaurarium facere sine thesauro, sic similiter facere episcopum sine subiecto populo. sicut sæpe fecit Romana abusio in contemptũ status episcopalis, de quibusdam solum titulatis episcopis mendicantibus & girouagis. Item quia mali prælati raro de suis excessibus corriguntur quia non cito etiam cõtra notorie malos profertur sentẽtia, sed per multos annos differtur, & sæpe eius punitio totaliter negligitẽ, idcirco absque timore mala perpetrant, & plerique eorum, suspensionis, excõmunicationis, irregularitatis, ac alias iuris pœnas contemnunt. Ideo prouidendum erit, quod circa talia uisitatio & inquisitio fiat, ut talium uita & fama in prouincialibus concilijs, uel si opus sit quandoque in generali cõcilio summo pontifici referantur, & ad eorum depositionem seu aliã condignã correctionẽ procedatur. Et licet hodie conciliũ non deponat uel restituat episcopos, sed solus papa, ut ij. q. vi. Ideo sicut notat glo. xi. q. iij. c. eps, super uerbo synodo tamẽ forte nũc expediret ad antiquũ morẽ illius capituli reuerti, ut à generali synodo dãnarentur uel absoluerentur episcopi, uel saltem quod hoc fieret in præsentia synodi, ut sic magis cessarent

inordinatæ affectiones quæ solent in talibus iustam sententiam impedire. Item si non placeret seruare illum antiquum rigorem Carthaginensis concilij quarti, ut episcopus uilem supellectilem, & mensam ac uictum pauperem habeat, & dignitatis suæ autoritatem fide & opere & uitæ meritis quærat, saltē placeat moderari quod excessiua pompa prælatorū, in uestibus, ornamentis, familiaribus, equis, conuiuijs, & ferculis ad cōgruam temperantiam restringātur: & quod expensæ in talibus superfluæ (sicut fieri debet) pauperum necessitatibus applicentur. Item tollatur monstruosus ille abusus, quo quidam prælatorū armis spiritualibus depositis, arma corporalia assumunt in campis, sicut principes seculares, & sæpe cum oppressione pauperum, & crudeli effusione sanguinis, cum tamen Dauid ab edificatione templi, quia uir sanguinū erat, prohibitus sit. Item si nō placet seruare illū iuris rigorem, quod non liceat episcopis à sua ecclesia plus tribus hebdomadis abesse, saltē prouideatur quod sine speciali licētia & rationabili causa diu ecclesias suas in præiudicium animarū non deserant, sicut hodie multi prælati faciunt. Item quod monstruosius est, religiosi & monachi, qui plus sunt officia

les fiſci quàm Chriſti in curijs principum, & cathedris iudiciorũ, in cameris computorũ, & alijs actibus ſecularibus militantes contra ſtatuta canonum, ut xi. q. i. Cum te quidem, cum ſuis ſimilibus. Item prouidendum erit, quod prælati in ſuis ſynodis, & eorum officiales in ſuis curijs, non ad repletionem burſarũ intẽdant, ſed ad correctionem uitiorum, emendationem morũ, & ædificationem animarũ. Et quod exactiones pro ſigillis & literis moderẽtur, & pœnæ pecuniariæ uel tollantur uel temperẽtur, aut in totũ uel partem ad pios uſus notorie applicentur, & quod pœna excõmunicationis non leuiter (ut ſupra tactũ eſt) feratur, Et quod litium prolixitates quæ pauperes ſpoliant, & multos de ſuæ iuſtitiæ proſecutione deſperare faciunt, modis congruis reſcindantur, Et quorundam aduocatorũ & procuratorũ inſolẽtia intolerabilis reprimatur. Item ſi obſtante conſuetudine nõ placet ſeruare illam rigoroſam regulam contra ſimoniam iure humano impoſitam, ut nihil pro ordinatiõe aut pallio detur aut accipiatur, ut habeẽ c. v. epiſtolæ tertiæ Gregorij papæ, & multæ aliæ quæ ſcribuntur in antiquis iuribus, ſaltem ſuper his eſſet aliqua moderatio adhibenda, & pro conſcientiarũ ſedatione

 etiam

etiam multitudini errantium pie condeſcendendo aliqua declaratio facienda, iuxta illud Nicolai papæ, qui præſidens in ſynodo Conſtantinopolitana dixit, Quia ergo uſque adeo uerenda ſimoniaca pernicies hactenus inoleuit, ut uix aliqua eccleſia ualeat reperiri, quæ hoc morbo nõ ſit aliqua ex parte corrupta, & tanta talium multitudo eſt, ut dũ rigorem canonici iuris ſuper eos ſeruare non poſſumus, neceſſe ſit ut diſpenſatorie ad piæ condeſcenſionis ſtudium animos noſtros ad præſens inclinemus, à ſimoniacis conſecratos in acceptis ordinibus manere permittẽtes. Hoc enim temporis nimia neceſſitas permittendum à nobis extorſit &c. Similiter eadẽ uel maiori ratione permiſſio & condeſcenſio facienda eſſet ſuper pluribus alijs iuribus & cõſtitutionibus, quæ cõmuniter in ſcandalum plurimorũ nõ ſeruantur, Vt uerbi gratia, Quod nihil omnino liceat accipere in diſtributiõe graduũ ordinũ adminiſtratione uel ſacramentorũ, uel ſepulturarum, aut huiuſmodi ſpiritualium uel ſpiritualibus annexorũ, Quod nõ liceat quemcunq; epiſcopũ uel clericũ die dominico abſentẽ eſſe ſeruiciorum ſolennijs, quod clerici ad matutinũ & ueſpertinũ officia uenire tentantur, quod non li

ceat

ceat clericis ante tertiam horam prãdere, quod nullus sacerdotũ à quinquagesima usque ad pascha carnes comedat, quod sacerdotes aduentũ ieiunẽt, Et sic de multis aliȷs similibus, de quibus uideretur expediens declarare quod non essent præcepta sed concilia. Et similiter de obseruantia ieiunij quadragesimalis, quantũ ad quasdam personas, & quo ad quasdam circunstãtias esset moderatio adhibenda. Item quia prælatis de diuino cultu specialis cura esse debet, circa huiusmodi reformationẽ, quæ necessaria est, prouidendum esset, quod in diuino seruicio nõ tam onerosa prolixitas, quàm deuota & integra breuitas seruaretur, quod in ecclesiȷs nõ tam magna imaginum & picturarũ uarietas multiplicaretur, quod nõ tot noua festa solennizarentur, quod non tot nouæ ecclesiæ ædificarentur, quod nõ tot noui sancti canonizarentur, quod præterquam diebus dominicis, & in maioribus festis ab ecclesia institutis liceret operari post auditum officium, cum quia in festis sæpe magis multiplicãtur peccata, in tabernis, in choreis, & aliȷs lasciuiȷs, quas docet ociositas, Tũ quia dies operabiles uix sufficiunt pauperibus ad uitæ necessaria procuranda, Quod in huiusmodi festis scripturæ apo

*Ieiunia.*

*Prolixitas sacrorum.*

*Picturæ templorum.*

*Noua festa.*

*Noua templa.*

*Noui sancti.*

*In festis sanctorũ post rem diuinã redeundũ ad labores.*

*Ineptiæ recentiorũ nõ legendæ in templis.* cryphæ, aut hymni noui, uel orationes, seu aliæ uoluntariæ uoluntates non legerētur omissis antiquis, & autenticis, & iam in ecclesia consuetis, Et quod generaliter omnis nouitas & uarietas, ac usuum diuersitas in horis ac alijs diuinis seruitijs (quantum fieri posset) uitaretur, iuxta decretum Toletani concilij xi. de quo xij. dist. c. De his. & multa alia utilia essent per prælatorũ diligentiã prouidenda, quæ per singula discutere longum esset.

## DE REFORMATIONE RELIGIONVM ET RELIGIOSORVM.

DE MONACHIS.



Varta cõsideratio erit de his quæ reformanda essent circa statum religiosorũ. Et primo uidetur quod tanta religiosorũ numerositas & uarietas non expediat, quæ inducit ad uarietatem morum, & quandoque ad contrarietatem & repugnãtiam obseruationũ, & sæpe ad singularitatem & ad superbiam & uanam extollentiam unius status super alium. Ex maxime uidetur necessarium quod diminuerentur religiones ordinum mendicantium, quia tot sunt & in numero conuentuum, & in numero supposito

rum,

rum,ut eorū ſtatus ſit onerosus hominibus,dāno ſus leproſorijs & hoſpitalibus,ac alijs uere pauperibus & miſerabilibus indigētibus,quibus cōuenit ius uerus titulus mendicandi, ipſis quoque curatis parochialibus,& ſi bene conſideretur etiam præiudicialis omnibus eccleſiæ ſtatibus, & ſpecialiter huiuſmodi religioſis intolerabilis, & eorum profeſſioni contrarius,& maxime in multiplicatione magiſtrorū bullatorū, & ſæpe indignorum,ipſis religionibus oneroſorum. De qua materia & eorū uarijs exceſſibus pauca loquor. quia ſunt plures doctores,qui de hoc abūde ſcripſerunt. Item prouidēdum eſſet ſuper correctione Quæſtuariorū prædicantium ſiue religioſorum ſiue ſecularium,quoniam ſuis mendacijs & immundicijs maculant eccleſiam,& eam ridiculam reddunt,& officium prædicationis maxime honorandū iam contemptibile efficiunt.

*Do wer uil uon zů ſagen und zůſchryben.*

*Quæſtores qui reliquias ſanctorum circūſerunt.*

Vnde prædicatio quæ propter ſui reuerentiam ad prælatos pertinet,non eſſet tot & talibus uilibus quæſtuarijs & mendicātibus permittēda. Item cum in Calcedonenſi concilio ſtatutum ſit, ut habetur xvi.q.i. Qui uere,quod monachi tantummodo intenti ſint ieiunijs & orationi in locis ubi renunciauerunt ſeculo remanentes, nec ec-

clesiasticis nec secularibus negocijs ꝓpria monasteria deserendo insistant, prouidendum esset quod nec etiã occasione studij claustra relinquerent, uel saltem moderandum quod solum ratione studij Theologiæ, cum nimis multi seculares hodie studeant in litium facultate, ipsa quoque Theologia in statu secularium paucos habeat sectatores propter abusum Romanæ curiæ, quæ Theologos contempsit, & in omni ecclesiastico gradu lucratiuarũ scientiarum studiosos præposuit, cum tamen primitiui Theologi ecclesiam ædificauerint, quam aliqui baritatores destruxerunt, & nunc eam quasi ad extremam ruinam deducere uidentur, adeo ut iam horrendum quorundam prouerbium sit, Ad hunc statum uenisse ecclesiam, ut non sit digna regi, nisi per reprobos. Item nunc maxime opus esset ad obuiandum insultibus infidelium, quod reformarentur religiones militares, & ad seruandũ fidem, mores, & patrũ regulas, & ad priores institutiones cogerentur. Item circa claustra monialium quæ iam proh dolor ultra quàm dicere audeã, dehonestatæ sunt, esset correctio adhibenda. Et inter alias prouisiones hoc uideretur expediẽs, quod nulla religio mulierũ sustineret, nisi tales haberent

*Facultas litium Iuristrey.*

*Antiqui Theologi religionem plantarunt, sed eam scholastici isti suis prauis logicalibus destruxerunt, dico distinxerunt hominũ traditiones admirando, & euangelicam doctrinam ut nimiũ simplicem contemnendo.*

*Religiones militares.*

*Moniales.*

rent redditus unde poſſent ſufficiēter ſuſtentari in ſuis domibus recluſæ ſine mendicitate & diſcurſu, & quod de eorũ eccleſijs ſeu quorũcũque aliorũ religioſorũ monaſterijs, uel prioratibus, uel domibus, uel ſpiritaliter in moribus deſtructis, uel in rebus tẽporaliter deſolatis fieret applicatio ad alia clauſtra, in quibus religio ſeruarẽt, ut per talem religioſarũ domorũ unionẽ ſuperflua numeroſitas religionũ reſtringeretur, & reſidua paucitas bonorũ & deuotorũ cõmodius ſuſtentaretur. Item in monaſterijs eſſet inuiolabiliter obſeruandũ, quod nullus niſi infirmus, aut debilis, aut hoſpes, comederet extra refectoriũ. quia experientia docet, quod ubi hoc ſeruaretur aliæ religionis obſeruantiæ tenerentur facilius. Item pro ſerenandis cõſcientijs deuotorum religioſorũ, ſummo opere cauendũ eſt eis, ne à principibus aut alijs, redditus ſuos aut alia ad ipſorũ ſuſtentationem pertinentia, procurẽt ex iniuſtis exactionibus, aut quomodolibet illicitè acquiſitis: Ne etiã iura prælatorũ, eccleſiarũ, & ſacerdotum parochialium indebite occupent, ſiue in decimis ſiue in alijs prouentibus eccleſiaſticis, Ne etiam in præiudicium ordinariorũ ab eorũ ſubiectione iuri diuino conſona, & in Calcedonenſi

concilio ſanctorum patrum decreto firmata, ut patet xvi. q. i. c. Qui uere, per opportunam humanorum priuilegiorum impetrationem & uiolentam exemptionẽ damnabiliter ſe ſubducãt. Nam ſecundum aliquos, nõ eſt mediocriter dubitandum an tales ſint in ſtatu ſaluandorum, ut patet ex deductione Cantoris Pariſienſis in uerbo abbreuiato capitulo xxxvij. Item in quibuſdã religionibus deuotis, quæ regulæ beati Benedicti rigorem ſuperaddunt in prolixitate uigiliarũ & orationum, & auſteritate ieiuniorum & abſtinentiarum, & alijs uarijs obſeruantijs afflictiuis, uideretur prouidendum de indiſcreta moderatione, & maxime circa infirmos, ut ſalua Chriſti lege nihil eis quod diſcreti medici conſuluerint negetur, ſiue in eſu carnium, ſiue in alijs quibuſcunque cõmoditatibus humanæ fragilitati, & naturali indigentiæ opportunis. Alioquin non dixiſſet Chriſtus, Non eſt opus ſanis medico, ſi nõ conceſſiſſet opus eſſe infirmis medicorum conſilio.

## DE REFORMATIONE CAETERORVM ECCLESIASTICORVM.



Vinta conſideratio erit de his, quæ reformanda ſunt circa ſtatum inferiorum, eccleſiarum & eccleſiaſticorum uirorũ. Et primo generaliter eſt prouidẽdũ, quod in eccleſiaſticis beneficijs iuxta eorum eminentias ponantur perſonæ benemeritæ, & nõ præferantur fatui & ignari ſcientificis & ſapientibus, nec iuuenes ſenibus, nec illis de una patria quorum uita & conuerſatio nota eſt, & probata, aliqui extranei & alieni in moribus, linguis, & conſuetudinibus, Nec potentes aut nobiles pueri clericis probatis & famoſis doctrina atq; moribus, Nec aduocati aut intenti ſcientijs lucratiuis, uel curiales, aut dominorũ temporalium ſeruitores, ſacræ ſcripturæ doctoribus, ſicut à multis iam retroactis temporibus Romana curia facere conſueuit. Et ideo erit expediẽs, quod ordinarij, qui in ſuis locis habere poſſunt & debent bene meritarum notitiam perſonarũ, iuxta earum merita, beneficia conferant, Vel ſaltem quod eorum collatio nõ omnino tollatur, ita tamen quod ut ob-

uietur eorũ abusibus, potestas ordinaria limitetur, ut uerbi gratia, quod nõ possint dignitates & beneficia maiora cõferre, nisi doctoribus in Theologia, uel in iure, quandocunque in suis uel propinquis diocesibus erũt aliqui huiusmodi: quod non possint etiam nisi graduatis uel nobilibus, uel aliâs bene meritis cõferre curas, personatus uel alia beneficia ualoris centum librarum uel ultra in portatis. Et ita de multis similibus prouisionibus, per quas & digni promouerentur, & multi nobiles & alij ingeniosi ad studium literarum prouocarentur, & uniuersitates studiorum florerent, & (quod ualde optandum est) importunæ & uiolentæ preces dominorum temporalium pro indignis cessarent, quæ hodie quàm periculose fiant, docet experientia. Hæc autem quæ de graduatis dicta sunt, per modum exempli ponuntur, quæ etiam moderari possunt & alia addi, ad prouisionem aliorum sufficientium, licet non graduatorũ. Item prouidendum esset, quod uniuersitates studiorum reformarentur, & per prælatos scientificos uisitarentur, ut gradus distribuerentur dignis sine fauore aut acceptatione personarum, & cum rigore examinis in scientia &

*Academiarum reformatio.*

tia & moribus,ut doctrinæ utiles resecatis super fluis aut minus utilibus legerentur, ut instructores Rhetoricæ & linguarum Græcæ & Latinæ, quarum ignorantia multipliciter damnosa est, haberentur,Et ut alijs studiosis actibus reipublicæ tam spirituali quàm temporali utilibus iuuenum ingenia exercentur. Item adhibenda esset correctio circa mores ecclesiasticorum, qui iam nimis proh dolor sunt corrupti ira, gula, luxuria, pompa, prodigalitate, ocio, & alijs generibus,quod cedit in graue laicorum scandalum. *Attende de lingua Græca.*

Et maxime obuiandum esset illi scandalosissimæ cõsuetudini seu potius corruptelæ, qua plures hodie non uerentur tenere etiam publice cõcubinas. Et quia aduersus eos pœnæ iuris, suspensionis, excommunicationis, irregularitatis nõ proficiunt,cõtra tales in hac uel alijs inhonestatibus publicis incorrigibiles,haberet locũ pœna depositiõis ab officio uel beneficio.

Item quia Archidiaconi ab ecclesia instituti sunt ut seruiant Episcopis, ut habetur originaliter Actuum sexto,& specialius declarantur eorum officia, decimatertia distinct. quasi per totum. Ideo prouidendum erit, ut debita officia exer=

ceant,uel cum ſint eccleſiæ oneroſi, penitus extir pentur,ſicut ſupra de Corepiſcopis dictum eſt. Item quia dicit Hieronymus. Pauci ſacerdotes, multi ſacerdotes. pauci merito, multi numero, Ideo cōtra hanc ſcandaloſam multitudinē eſſet ſummo opere obuiandum,per hoc quod nō pro mouerētur,niſi digni & bene morigerati, haben tes ſcientiam ligandi & ſoluendi, & intelligentiā diuini ſeruicij. Item ad obuiandum ignorantiæ ſacerdotum iam promotorum,in eccleſijs cathe dralibus & notabilibus collegiatis eſſent ſcriben di aliqui breues tractatus,& etiā in ſynodis pub= licādi tā in Latino quàm in uulgari ſuper inſtru= ctione neceſſaria de uirtutibus & uicijs, de arti= culis fidei,de ſacramentis,de modo confeſſionis & huiuſmodi. Similiter in huiuſmodi eccleſijs de beret eſſe aliquis lector Theologiæ, qui legeret ſecundum & tertiū & quartum ſententiarum,uel recipiendo utiliores materias dictorū librorum, eas ſub breuitate applicaret ad expoſitionem & intelligentiam epiſtolarū & euangeliorū, quæ in eccleſia per anni circulū recitātur. Similiter in di ctis eccleſijs,& maxime in metropolitanis debe= rent eſſe notabiles librariæ Theologiæ, & iuris canonici,ac librorū moralium,& maxime quod

*Bibliothecæ eccleſiarum.*

magnus

magnus liber conciliorũ generalium, qui modo rarus eſt, licet ſit perutilis & neceſſarius, à metropolitanis in magnis eccleſijs reponeretur. Item quia correctio ſubiectorum ſæpe per eorum appellationes impeditur, & datur peccandi audacia: etiam circa eas adhibenda moderatio eſt, ne in earũ nimis facili receptione & admiſſione inferiores prælati à Metropolitanis uel Romana curia in ordinaria executione iuſticiæ grauarentur, ſicut iam dudum beatus Bernhardus conquerebatur in libro de conſideratione ad Eugenium papã. Qui liber in hoc & alijs multis pro reformatione eccleſiæ non mediocriter utilis eſt & plures eius libri & epiſtolæ.

## DE REFORMATIONE LAICORVM ET PRINCIPVM.



SExta & ultima cõſideratio erit de reformandis circa ſtatum laicorũ Chriſtianorum, & maxime principum, à quorũ moribus dependet morigeratio populorũ. Quia ut dicit poëta. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Et iterum, Mobile mutatur ſemper cum principe uulgus. Claudianus.

Et ideo prouideāt principes Christiani, ut titulū suæ Christianitatis quē uerbo cōfitentur, opere non negent cōtra Christi doctrinā, & per uias ei cōtrarias in cōspectu sui populi corruptis moribus incedentes, suis malis exemplis mores subditorum corrūpant. Item quod liberos suos in bonis operibus ac moribus, & in literarū sciētijs informari faciant. Item ut nō solū a se, sed a suis familiaribus & domesticis, superfluā & superbam uanitatē, auaritiā, & tyrannidem abijciant. Item quod populū ipsis subiectū bonis moribus ædificare studeant, eos à luxuria, auaritia, ocio, & à cunctis uicijs reipublicæ contrarijs retrahant, & specialiter à dei & sanctorū blasphemia, quæ sæpe in iuramentis & periurijs cōmittitur, arceant. Item quod malas cōsuetudines iuri diuino & humano contrarias in suis subiectis per consilium Theologorū & aliorū prudentū repellant. Item quod artes magicas & alias superstitiones diuina lege damnatas, & omnes errores & hæreses fidei contrarias diligentius euellent & destruāt. Item quod ad fidei exaltationē, diuini cultus honorem, ecclesię reformationem, inuigilent ad ea quæ supra & infra pro huiusmodi reformatione notata sunt, & alia quæcunque utilia diligenter

labo

laborent. Item quod zelo iustitiæ contra persecutores & oppressores ecclesiæ, pauperũ, & debilium excandescãt, & eorum iniurias propulsare non tardent. Vicinis quoque & peregrinis fidem catholicę fraternitatis obseruẽt. Item cõtra Sarracenos & alios fidei aduersarios potẽter insurgant, & nunc dũ maxime opus est post urcitã & reformatã ecclesiã, infideliũ insultibus uiriliter se opponant, ac ꝑpter hoc guerras & bella quæ iam proh dolor & in imperio & in regnis Christianis in contumeliã Christani nominis crudeliter sæuiunt, misericorditer cõpescant, & ad Christianam pacẽ & unionẽ reducant. Alioqui infallibiliter uerificabitur uerbum Christi, Omne regnum in se diuisum desolabit̃. Item quod Iudæis ꝑpter uilem quæstũ turpiter nõ faueãt, eos uide licet inter subiectos suos morari permittẽdo, nisi uel Christianis seruiẽdo, agros colẽdo, uel aliâs mechanice laborando, & non usuras damnabiles in damnum Christianorum exercendo. Item quod Iudæorum conuersorũ bona non rapiant, sed ad uitæ necessitatẽ eis possidere permittant, ne egestate cõpulsi, apostatẽt, & Christianos impietatis arguãt. Item multa alia essent per principes cum generali concilio ecclesiæ cõtra statum

*De Iudæis non spoliandis, si ad nos transeant.*

Christiani populi reformanda, quæ si impediant, imò si ea diligenter non promoueant, timendum est eis ne contra ipsos manus domini (prout iam incipit) gladiū sui furoris exerceat. Item propter præmissa expedit, quod reges & principes mittantur ad generalia concilia, nō ad onerandum & confundendū sed ad honorandū, & confortandam ecclesiam, & ad ea quæ ibi decreta fuerint (quantū in eis est) exequendum. Item quia iuxta euangelicā sententiā quam etiā experientia rerū magistra docet, inter reges gentiū & principes seculi sæpe fit cōtentio, quis eorum uideatur esse maior, quā contentionē Christus inter discipulos suos uitari docuit. Ideo nō uidetur expediens quod de cætero in generalibus concilijs pro deliberando ad partem super rebus gerendis fiat diuisio per nationes uel regna, quia talis modus diuidendi magis est secularis quàm ecclesiasticus, & ad contentiones de maioritate uel superioritate dispositiuus. Sed iuxta ecclesiasticas sanctiones & sanctorū patrū obseruantias, magis uidetur esse procedendum per prouincias ecclesiastico more distinctas. Tamen quia huiusmodi prouinciæ ualde inæqualiter sunt diuisæ in diuersis mundi regionibus, ideo expediens

diens uideretur hanc moderationem obſeruari, quod ad conſtituendam prouinciam in concilio generali nõ ſufficeret minor numerus quàm xij. nobilium perſonarũ, quarũ ſex ad minus eſſent prælati uel ambaſiatores regum, principum, uel uniuerſitatũ generaliũ ſtud.orũ, aut doctores in Theologia uel in iure, & illorũ ſex ad minus duo eſſent epiſcopi, nõ titulares aut girouagi. alij uero ſex ſint in minoribus dignitatibus eccleſiaſticis conſtituti, uel in aliqua facultate graduati. Quando uero in aliqua prouincia non eſſet talis numerus aut taliũ perſonarũ, quod ſuppleretur de alijs uicinis ꝓuincijs, & conſtitueretur una ex pluribus, quæ denominaret̃ ab illa, cuius ibi eſſent plura aut notabiliora ſuppoſita. Et quod huiuſmodi perſonarũ electio fieret in concilijs prouincialibus, generale concilium præcedentibus, Et ibidem ordinaretur de ſtipendijs, expenſis, & ſumptibus eorundem per modum ſubſidij charitatiui eccleſiaſtico more, & non ſeculari au toritate uel poteſtate imponendi & exequendi. Item quia eccleſia non poteſt principes ad prædicta reformanda temporaliter cogere, expediens erit quod per generale cõcilium ipſos ad ea monitis ſalutaribus exhortetur, ut ſic faciendo

quod in se est, apud summū iudicem excusetur. Nec solū opus erit exhortatorijs uerbis, sed etiā bonorū morū & in melius reformatorum actuū exemplis. quia plus mouent exempla quàm uerba, ideo cœpit Iesus facere & docere. Vnde nihil est quod tam efficaciter possit siue ad bonum siue ad malum principes & alios laicos inducere sicut facta exemplaria ecclesiasticorum. Ideo super illud Matthei. xxi. & intrauit Iesus in templū &c. dicit Chrysostomus, Sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malū procedit. Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret, Si autem corruptū fuerit, omniū fides & uirtus marcida est. Sicut cum uides arborem pallentibus folijs, intelligas quod uicium habet in radice. sic cum uideris populū indisciplinatum, sine dubio cognosce quod sacerdotium non est sanum. Et inde patet quod necessaria sit ecclesiasticorum reformatio, cum morum suorū deformatio tam periculosa sit, & cunctis fidelibus populis tam damnosa. Auertat autem misericors dominus ab ecclesia sua hanc contumeliā ut omnes prælati, sacerdotes, aut alij ecclesiastici huius lamentabilis deformationis reperiātur culpabiles, Sed sicut olim ipse sibi in Israël septē

milia